

Domino teste, Matth. XV. Raduntur vero in confessione per absolutionem sacerdotis quasi per acutam novaculam. Porro abrasa ponderanda sunt statera satisfactionis, ut pro gravitate delictorum acceptetur et persolvatur pœnalis aliqua compensatio præteritorum delictorum, *Ut unusquisque tanto majore acquirat bonorum operum lucra per penitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam*, inquit, S. Gregor. hom. XX. in evangelio. Pars itaque pilorum seu peccatorum exurenda est igne orationis; pars vero concidenda gladio jejunii, flagelli et aliarum mortificationum; pars alia dispergenda in pauperes per eleemosynam: quæ sunt tria satisfactionis opera, peccatis proportionata. Qui enim alia in Deum, alia in nos ipsos, alia in proximos committimus, par etiam est ut omnibus reddamus quod debemus, humilitatem Deo per orationem; disciplinam et castigationem nobis ipsis per jejunium; misericordiam proximo per eleemosynam. Et quia offendimus Deum anima, corpore, bonis externis; satisfaciamus eidem oratione, jejunio, eleemosyna, velut de bonis animæ, corporis et fortunæ. Ad extremum gladius post peccata nudandus, quo modo Deus per angelum *expulit* (ita habet vox Hebræa, Genes. III.) e paradiso Adamum et Evam flammeo gladio, ne ad eum aliquando redirent. Ejicienda inquam peccata maximo conamine et mediis adhibitis, ut in posterum ea non admittas in cor tuum. Neque enim satisfactio solum compensare debet debita contracta, sed præterea etiam inolitas vitiorum radices evellere, et a futuris lapsibus hominem præservare, veluti diæta convalescenti præscripta, ut reliquias morbi tollat et relapsum arceat.

Jam vero quomodo plerique satisfaciunt peccatis? Fugiunt aliqui eos confessarios, qui severiores esse dicuntur in penitentibus injungendis; plerique amant leves subire pœnas, quod cum sciant confessarii, rara imperant jejunia, rara cilicia et flagella, raras eleemosynas, oratione pleraque expedire coguntur. Sed videat unusquisque an talis satisfactio peccatis suis commensurata sit; mittat hæc in unam et illam in alteram lancem, ac ponderet utraque, comparetque inter se. Itane unum Miserere vel unum rosarium adæquabit pondus decem vel plurium lethaliū peccatorum? Unum jejunium tot ebrietates? Una eaque exigua eleemosyna tot rapinas et usuras? Una disciplina tot libidines? Videat deinde an opera satisfactionis proportionata sint delictis, adeoque congrua pharmaca ad curandas plagas et tollendas morbi radices. Videat an peccandi occasiones fugiat, aliaque adhibeat

media ne facile in peccata recidat. Et quam multis dici posset: *Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es: nimis inquam, delicatus, nimis impatiens, et majorem debitorum partem insolutam relinquis, ac differs in purgatorium? Nonne bene dicimus, te non ex integro sanatum esse, qui tam cito relaberis? Si vere te penitui, remove illos lapides, in quibus impregisti: fuge choreas et tabernas; ejice e domo pellicem; abjice leviculum vestium novarum luxum; restitue lucra illicita; tolle inimicitias et reconciliare fratri tuo. Hoc est quod dicebat Deus populo Hebræorum, post idololatriam jam pene reconciliato: *Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi*. Ornatum intelligit illum, quo populus lætabundus erat indutus, quoque exornatus vitulum aureum adoraverat et profanum festum egerat; ut eo nudatus quasi ad plagas excipiendas se aptaret, ut exponit Hieron. ab Oleast. Exod. XXXII. Hoc, quod S. Remigius archiepiscopus Remensis dicebat Clodovæo Francorum regi converso et jam ad baptismum se inclinanti: *Mitis depone colla Sicamber; adora quod incendisti: incende quod adorasti*. Hoc est, Christum adora, cujus ecclesias paganus incendisti; incende idola, quæ tunc adorasti, Joan. Trithem. l. I. comp. annal. Hoc quod S. Hieronymus præscripsit Susannæ virgini lapsæ, epist. XXII. « Imprimis, inquit, omnis vitæ cura intermittenda est tibi, et quasi mortuam te existima, sicut es; quomodo possis reviviscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, et mens, et membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui luxuriæ occasionem præstiterunt. Defluant oculis lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam erubuit impudice; totum denique corpus injuriis et jejunii maceretur, cinere aspersum, et cilicio perhorrescat, quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquescens tamquam cera, in jejunii inquietans seipsum, et cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum. Sensus etiam crucietur, quia in membrum corporis cum haberet dominationem, malum gessit imperium. Talis actio penitentia, si fuerit perseverans, audebit hic sperare, si non gloriam, certe pœnæ evacuationem. »*

Atque hæc est ratio, auditores, penitentiam agendi; quæ nisi observetur, non video quomodo defendere possimus thesin illam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Imo vero graviter metuendum nobis, ne audiamus non Judæos, sed Judæorum regem dicentem nobis: *Nonne bene dico ego, quia Samaritani estis et dæmonium*

*habetis?* Quod ne audiamus ibi, agamus hic penitentiam, qualem a nobis requirit ipse, qui vere penitentibus dat in hoc sæculo gratiam, et in illo gloriam.

## CONCIO III.

MOTIVA CONTRITIONIS EX PARTE EORUM, QUI PECCATO OFFENDUNTUR.

I. Arguit peccatorem Deus. — II. Arguit Christus. — III. Arguit proximus. — IV. Arguunt omnes creaturæ.

## THEMA.

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. VIII.

Gen. XLIV. legimus Josephum, postquam fratribus suis (a quibus nondum agnoscebatur) saccos frumento implevisset, præcepisse dispensatori domus suæ ut scyphum suum argenteum in sacco Benjaminici clanculum imponeret, postmodum vero abeuntes insequeretur, et argueret quasi domino suo scyphum furati essent. Fit ut imperatum. Assequitur discedentes œconomus et ablati scyphi arguit. Qui omnes indignabundi innocentiam suam jactant, ideoque mox saccos suos de jumentis solvunt et singuli aperiant. Repertus igitur in sacco Benjaminici scyphus, moxque consternati fratres omnes sciderunt vestimenta sua et oneratis rursus asinis reversi sunt ad Josephum. Quis hic sensus illis, et quantus timor fuerit, quis non facile divinabit? Sed dum coram Josepho culpam agnoscunt suam licet innocentes, humanissime accepti et fratres ab eo salutati sunt. Videtur mihi hoc ipsum facere in presenti tempore verus noster Joseph et salvator Christus, non quia nobis fictum impingat furtum, sed quia optime norit, nos revera in saccis conscientiarum nostrarum gestare furta peccatorum, quæ culpa nostra contraximus. Quoniam igitur ipse nos hoc præsertim tempore ad se revocare et in amicitiam suam recipere contendit, mittit dispensatores Ecclesiæ suæ, confessarios videlicet, ut singulorum saccos perlustrent et conscientias rimentur. Quis autem nostrum dicere potest se in sacco suo nullum habere furtum? Quis cum Christo audeat dicere: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quam primum enim nos arguet Joannes, qui I. epist. c. I. ait: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est*. Reliquum est igitur, ut nos quoque scindamus cum fratribus illis non quidem vestimenta nostra, sed corda, quemadmodum Joel, c. II. ait: *Scindite*

*corda vestra, et non vestimenta vestra*. Scindamus, inquam, per veram contritionem et cordis compunctionem, et cum hac contritione revertamur ad Salvatorem nostrum per oris confessionem, quo et ipsi mereamur ab eo recipi in optatam amicitiam. Sed quoniam plerique ad instar fratrum illorum culpas suas non agnoscunt, ideoque nullos queunt elicere contritionis motus, arguam eos et statuam, Deo adjuvante, contra faciem illorum, ut sic intelligant quam gravis et deploranda res sit peccatum.

I. Arguit te Deus, in quem principaliter peccasti, cui gloriam et coronam regni quodammodo abstulisti, ac proinde injuriam omnium maximam intulisti. Quæris quomodo hoc feceris? Audi. Nonne tu quando contra Dei expressam voluntatem et præceptum creaturæ adhæristi, eam super omnia coluisti, Deo præposuisti et in ejus solio collocasti, nonne hoc ipso Deum legitimum regem tuum de solio suo exturbasti, dum ei rebellasti et voluntati ejus e diametro contraisti? Primo enim *Numquid non ipse est Pater tuus qui possidet et fecit et creavit te*, ait Moyses, Deut. XXXII. Quid vero tu sentires, si inscius patrem occidisses, et postea id verum esse comperires? Memini me vidisse Cœniponti in templo Franciscanorum inter alias statuas arte celeberrimas æneam unam alicujus dynastæ, vultu subtristi, hastæ suæ innitentis, qui, ut habet traditio illius cœnobii, dum una cum patre suo aciem duxisset in hostem, casu et inscius in prælio occidit patrem, quem hostem existimarat, utpote armis tectum. Re itaque sibi nuntiata, ad cadaver patris, quem occidisse dicebatur, adduci voluit ut videret, num se ita res haberet. Adductus itaque et patrem conspicatus, præ nimio animi mœrore stans ante parentis corpus et hastæ suæ innixus spiritum exhalavit. O si apertos haberemus oculos ut videre possemus, quis ille sit, in quem peccavimus! Bonus ille filius nulla sua culpa per errorem occidit patrem: at nos scientes volentes, ex malitia Deum Patrem nostrum offendimus. Sed accedit præterea quod Deus quem offendimus sit summus benefactor noster. Unde enim quæso habemus, quod *sumus, vivimus, et movemur*, nisi ab ipso? Nonne terra qua sustentamur, aer quo spiramus, panis et aqua quibus vivimus, sol quo illuminamur, cælum quo protegimur, ignis quo calefimus, mera eaque continua Dei beneficia sunt? Et si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora, ut dicebat Nathan ad Davidem, II. Regum. XII. Et nihilne te peniteat, offendisse tantum benefactorem? Erubescere, miser, et vade ad leones. Narrat enim Joannes Osorius, tom. IV. concl. I. de renovat. mentis, in Hispania

cecidisse ut leo qui alitorem suum valde diligebat atque adeo ad se intransibilem secure et amanter admittebat, tandem cum aliquando forte nova indutum veste ad se ingredientem videret, alienum ratus, invaserit et discernerit : quem postea magis magisque intuens, cum custodem et nutritium suum agnovisset, adeo miserandum in modum irrugit, ut sustineri vix potuerit. Quid igitur ad hæc dicemus? Cognoscit leo alitorem suum et dolet offendisse; homo non dolebit offendisse conservatorem suum? O miseri et cæci, si non agnovistis, cum peccaretis; videte nunc, contemplantini illum. Nonne ipse est, qui vos alit, vestit, dat, creaturis omnibus dominari facit, per angelum custodit? Cujus vos jugum fregistis, vincula rupistis, gloriam abstulistis et mammonæ, Veneri, Baccho imposuistis? *Scito (ergo) et vide quia amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum*, inquit Jerem. c. II. Amarius utique, quam relictum esse a Deo, (si tamen amas Deum.) Quis enim dubitat amarius esse amanti offendisse amatam, quam offensum esse ab illo? Paulus certe paratum se dicebat anathema fieri a Christo pro fratribus, id est, separari, et deserere velut membrum putridum; nunquam tamen paratus erat deserere Christum, aut ab ipso diligendo cessare. Quin potius ait: *Quis nos separabit a charitate Christi? etc. Quia neque mors, neque vita, neque angeli, etc.* Rom. VIII.

II. Arguit te Christus; nam et illius scyphum abstulisti, o peccator, meritum inquam passionis ejus, quam ipse non semel calicem appellavit. Dure accepit Christus, quod in ejus comprehensione conaretur Petrus gladio exerto passionis calicem ab eo amoliri. *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Joan. XVIII. Sed multo durius accipiet, si postquam illum ebibit in cruce, frustra effundatur. Sicut major est injuria si rem alicui eripias jam coemptam, quam si coemptam nondum dato pretio. Numera quæso, peccator, quid pro te et me expenderit Christus, quid fecerit et passus sit; et vide annon vesaniam et prodigalitatem tuam deplorare debeas. Nonne ipse nostri causa de cælo ad nos descendit? Nonne carnis nostræ fragilitatem induit? Tot itineribus salutem nostram quæsit? Quotidie prædicavit et viam cæli nobis ostendit? Omnis generis tormenta, crucem et mortem denique ipsam sustinuit? Et tu igitur hæc omnia quæ tanto constiterunt Dei Filio, contemnis, prodigis, conculcas, et insaniam tuam non deploras? Dico quæso: Si qui fratres in durissima Turcarum servitute ea lege tenerentur vincti ut nisi intra certum tempus magna auri quantitate redimerentur, omnes

crudelissime necandi essent; parens vero eorum hoc intelligens, undique per multas orbis partes eleemosynam conquiret et mendicaret, non sine ingenti sua molestia, fatigatione, confusione, injuriis, et tandem collectam illam auri summam ad filios deferret, ut ea se redimere et ad patriam redire possent; si tunc captivi illi inciperent se inebriare, et per ebrietatem pecuniam dilapidare, cum hostibus suis Turcis, lusu, meretricibus et comotationibus absumere, ut nihil jam reliquum esset ad sui redemptionem: quæso te, quam indignum facinus hoc esset? Quanta in patrem ingratitude et injuria? Quanta filiorum vesania? Et si ipsi post, ubi erapulam edormissent, cum prodigo illo filio consumpta omni substantia in se revertentur, et constitutum mortis terminum appropinquantem cernebant, nonne jure meritissimo suam stultitiam, prodigalitatem et ingratitude continuis fletibus deplorarent? Atqui Christus quid per triginta tres annos aliud fecit, quam quod pretium redemptionis nostræ comportavit? Quot calumnias, injurias, molestias, tormenta denique nostri causa pertulit? Et quid faciunt peccatores? Inebriantur mundi voluptatibus, et in illa ebrietate totum redemptionis suæ pretium prodigunt, imo a se repellunt juxta id psalm. XLI. *Pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti.* Pretium redemptionis exponunt S. Basilii et Ambrosii. *Redite ergo prævaricatores ad cor, et cogitate quid ac quantum perdidistis; qualem patrem offenderitis. Dicite ad vos ipsos: Ergone frustra baptizatus sum? Frustra confirmatus? Frustra toties confessus? Nihilne mihi jam prosunt omnia, quæ pro me fecit, dixit et passus est Christus? Ergone adhuc in captivitate dæmonis sedeo et ad gehennam rapior? Proh! miserum me, quid feci? Sed hoc satis non est quam plurimis peccatoribus. De novo enim Christum persequuntur et peccatis suis vulnerant juxta psalm. LXVIII. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, dum in multis directe in Christum pugnant, sacramenta ejus contemnendo, verbis contumeliosis proscindendo, sacra ejus blasphemando, leges verbo aut facto improbando, sacramentum et ipsam sanctam eucharistiam fiete et cum peccatis suscipiendo. O ingratitude inauditam! Quid enim hi aliud agunt, quam quod Filium Dei conculcant, ut loquitur apostolus ad Hebræos X. *et sanguinem testamenti pollutum ducunt?* Et ad Hebræos VI. *Rursum crucifigentes sibi metipsos Filium Dei et ostentui habentes?* Quid faciunt insani isti, nisi quod milites illi, qui in monte Calvarie Christo detraxerunt chlamydem vulneribus*

adhuc cridis agglutinatum, et per hoc omnia ejus vulnera renovarunt? Gentilis fuit Alexander Magnus, qui posteaquam in furiosa ebrietate servatorem suum Clitum, qui Rhosaceris manum capiti regis imminentem gladio amputaverat, hasta transfixisset, postmodum ebrietate discussa cadaver Cliti aspiciens in tantum doluit ut seipsum interimere eadem lancea pararet. Verum impeditus humi se prostravit, os unguibus laniavit, cadavere occisi inspecto, cum lacrymis se increpuit, triduoque inclusus jacuit sine cibo, quasi inedia se confecturus. Refert Quintus Curtius, I. VIII. Infinites plus debemus Christo, qui imminentem capiti nostris Dei irati gladium retinuit, et meritis suis in vaginam recondidit. Quid igitur sentiat peccator, qui jam sero meminit, se suum Servatorem tanta cum insania denuo afflixisse, et quantum in ipso est, occidisse?

III. Arguit te proximus tuus, quem variis injuriis affecisti, et ita suo modo illi quoque scyphum abstulisti. Primo sæpe corporalia lamna inferendo. Interroga conscientiam tuam et dicet tibi. Alios forte egenos in bonis defraudavi, et vi vel fraude quod mihi non debebant, ab illis extorsi; aliis egentibus et opem meam implorantibus non modo nihil tribui, cum possem, sed insuper afflictionem addidi, probris et calumniis per iram meam nocui, et si modo potuissem, omnino mala libenter intulisset; aliis famam et existimationem quantum potui, minuire studui; eosque exosos reddere et Deo ac hominibus invisos. Secundo in bonis animæ, quoties heu sceleribus meis alios ad peccandum provocavi? Quoties aliis lapis offensionis fui et petra scandali, cum tamen, Domino testante, melius mihi fuisset, suspensio ad collum lapide molari, demergi in profundo maris? Quoties forte et parentes, vel liberi, vel fratres, vel vicini mei propter peccata mea puniti fuere; siquidem ob unius peccatum sæpe puniuntur multi? Et quod omnium maximum est, forsitan nunc de facto aliqui in inferno sunt, et in æternum erunt, quibus vel causa damnationis fui, vel saltem ansam aut aliquod adjumentum præbui, ut facilius damnarentur? Quoties aliquem quasi flumine raptum vidi ad infernum descendere, quem cum eripere mea correctione et consilio potuissem, non eripui, sed cum risu et delectatione in peccatis submergi passus sum? Et quis mihi fort animus, si modo intelligerem, quod unicus tantum homo in inferno ardeat, quem ego vel illuc promovi, vel juvi, vel saltem abripi permisi? Num hoc peccatum facile expiare possem? Judas certe, Christo tradito,

II. PARS HIEMALIS.

videns quia condemnatus esset, *pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, et abigens laqueo se suspendit*: adeo magnum reputavit peccatum suum. Et qualis fuit illa condemnatio? Ad mortem temporalem tantum, ad mortem, quam Christus obviis ulnis libens amplectebatur, et tamen illius traditor ob facinus desperavit. Quid dicis tu, qui malis tuis exemplis, doctrinis, blanditiis, fraudibus aut vi forte, non unum sed plures ad æternam mortem tradidisti? Ergone aliquis propter tuam culpam æternum punietur, et in gehennæ flamma ardebit, et in æternum ardebit? Ergone tale damnum dedisti quod in æternum nunquam resarciri potest? Ergone tu ad cælum ibis, qui alium ad infernum detrustisti? Quod si in hoc casu culpa vacas, merito tamen times ne forte non uni sed multis causa fueris cur diutius saltem in purgatorio torqueri debeant. Heu quot parentes ex igne illo irrugiunt et indignantur suis filiis, quorum culpa ibi retinentur? Quot liberi parentibus? Quot socii commilitonibus? Et nonne hoc lacrymis dignissimum, quod vel ad tempus aliqui tua culpa ardeant? De harpya refert Rob. Holkot, in libro sapientiæ, lect. CXLIV, eam si quando occidit hominem, et forte tunc in aquis vultum suum humano similem esse conspiciat, tantopere dolere ob patratum facinus, ut quandoque moriatur. Quid ergo cogitet homo, si recordetur se fratrem suum, natura, vultu Deique imagine, sibi per omnia similem, occidisse, sive corporaliter, vita naturali aut civili bonæ famæ spoliando, sive spiritualiter pertrahendo ad peccatum, et in eo deserendo? Vide, miser, annon tu servus ille nequam sis, qui nolens misereri conservi sui, tenens suffocabat eum? Dum videlicet fratrem tuum sive bonis spoliasti et ad inopiam redeigisti, sive ultione et odio persecutus es, sive ad peccatum pertraxisti, in eoque suffocasti et ad infernum misisti? Sensit hunc aculeum Berengarius, prius quidem hæreticus, et multorum seductor, postmodum vero resipiscens, qui in die epiphaniæ cum morte luctans dixit: « Hodie mihi apparebit Dominus meus Jesus Christus, vel ad gloriam, sicut spero propter pœnitentiam meam; vel ad damnationem, sicut formido propter aliorum corruptionem, quos ad viam veritatis reducere potui. » Refert Gerson. sermon. in cœna Domini de pœnitentia.

IV. Arguunt te universi et simul omnes creature, quibus etiam sua modo scyphum argenteum auferes, hoc est, ordinem illum et inclinationem naturalem, quam habent ad serviendum creatori suo, vero utique Domino

(*quoniam omnia servant tibi*, ait David, psal. CXVIII.) dum eas a creatore suo abstrahis et tibi rebelli servire et subesse cogis, atque ita tyrannice usurpas, contra voluntatem legitimi earum Domini; veluti ingenium tuum, robur, formam, opes, dignitates, membra, elementa mixta, sidera, creaturas omnes. Vinum tibi et dapes ad gulam inservire, unguenta ad libidinem, arma ad duella et homicidia, ingenium ad technas et fraudes debent. Atque hoc est quod apostolus scripsit ad Rom. VIII. *Vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloria filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.* Ingemiscunt ergo et dolore anguntur creaturæ, quod subjectæ sint, non volentes, peccatori: cur non potius ingemiscat peccator, qui tantam cladem affert innocuis creaturis? Sua in Deum rebellionem causat sibi et aliis grandines, segetum interuersiones, pestes hominum et pecorum, ventorum procellas, siccitates, incendia domorum? Nonne hæc omnes clades, si supervenerint, multis lacrymis deplorantur? Et cur non magis peccata quæ eas intulerunt? Miseri et insani homines instar canum in lapides morsum convertunt, qui in eos projiciuntur; et non in ipsa peccata, a quibus illi jaciuntur, tribulationibus irascuntur, peccatis earum parentibus non irascuntur. Aperiamus ergo, aperiamus quæso, saccos conscientiarum nostrarum, et intueamur flebilibus oculis furta nostra, injurias videlicet quas Deo, Christo, proximo et creaturis aliis intulimus, ut corda nostra scindere et conterere possimus. Aperuit saccum suum David, et lavit per singulas noctes lectum suum et lacrymis stratum suum rigavit. Aperuit publicanus, et percutiebat pectus suum nec audebat ad cælum oculos levare. Aperuit Magdalena, et lacrymis rigavit pedes Christi et capillis suis tersit. Aperuit Petrus et exiens flevit amare. Aperuit Theodosius imperator et publicam in ecclesia cum lacrymis prostratus subiit penitentiam, etc. Atque ita demum fiet, ut post agnitum errorem nostrum a cælesti Josepho, Christo, ad suavissimum admittamur osculum.

## CONCIO IV.

## CHRISTUS QUOMODO IN PASSIONE VITULUS.

I. Hostia debebat esse vitulus. — II. Ducenda ad ostium tabernaculi. — III. Super ejus caput imponebant manus. — IV. Immolabatur in conspectu Domini. — V. De sanguine ejus inferabatur in tabernaculum. — VI. Ejus sanguine aspersum sanctuarii velum. — VII. De ejus sanguine positum in cornibus altaris. — VIII. Reliquus sanguis ad basin altaris fusus. — IX. Adeptus ejus in altari crematus. — X. Rogabat sacerdos pro populo. — XI. Hostia caro efferebatur extra castra. — XII. Incendebatur super struem lignorum.

## THEMA.

*Per proprium sanguinem introivit semel in sancta.*  
Hebr. IX.

Recte quidem Sanctus Hieronymus, per quatuor illa animalia ostensa Ezechieli (quæ erant homo, vitulus, leo, aquila) quatuor evangelistas intelligit, quemadmodum alibi diximus. Sed non minus recte alii per eadem intelligunt Christum Dominum; nam illa quatuor animalia, quæ describit, c. I. repetens eandem visionem, c. X. vocat unum animal. Ergo unum animal erat, sed quatuor habebat facies, quod ostensum Ezechieli, idque significabat quatuor principalia mysteria et status vitæ Christi, qui faciem hominis habuit in incarnatione, quia verus homo erat, et propterea communiter filium hominis se vocabat; faciem vituli in passione, quia per vitulum illum, qui pro peccato populi immolari jussus est, Levit. IV. designabatur; faciem leonis in resurrectione: faciem aquilæ in ascensione. Ita S. Gregor. ho. IV. in Ezech. et alii. Hominis faciem in Christo incarnato, luce clarius agnoscimus. Leonis in resurrectione, aquilæ in ascensione infra ostendimus. Nunc qua ratione vitulus, et quidem is, qui Levit. IV. immolandus erat, fuerit in passione, non difficile ostendimus.

Levit. IV. ita loquitur Deus: *Quod si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, et postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, etc.* Ecce tibi, primo causam, ob quam noster ille vitulus, Christus, fuit immolatus. Quia enim totum humanum genus peccavit in Adamo, tametsi ignoranter, contra mandatum Domini (id enim postea primùm intelleximus, cum in illis parentibus aperti sunt oculi nostri, et nudos nos esse cognovimus) idcirco æquum et justum fuit, ut hoc commune peccatum justo modo expiaretur. Verum sicuti in lege illa veteri

pro totius populi delicto vitulum mactari voluit Deus, quo vivere possent homines; ita pro totius humani generis peccatis voluit Filium suum esse victimam, quo vivere possent homines. Perspicue hoc docuit Isai. c. LIII. *Omnes nos, inquit, quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*

I. Ergo hostia pro peccato populi debebat esse vitulus, ad litteram quidem, quod is tenerior esset et delicatior; (Deo enim offerenda sunt meliora, non deteriora) allegorice vero quod representare debebat Christum, qui in flore juventutis immolandus erat. Quod utique factum, ut ei mors acerbior, et ex hoc satisfactio esset copiosior; siquidem juvenes ægrius et plerumque difficilius seu violentius mori solent, ac veluti portia nondum matura avelluntur vi ab arbore. Hæc videtur ipse nobis considerandum dare, per Jeremiam, c. XII. cum ait: *Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* Pueri adhuc nesciunt diligere aut æstimare vitam suam; senes desinunt diligere, juvenes maxime diligunt. Dolemus cum pona immatura sive a vento excuti, sive a pueris abripi cernimus ex arbore, quod ante tempus tollantur. Et quis non doleat Christum tantum corporum et animarum medicum abripi ex hac vita in ipso juventutis flore? Dolebat certe Isaias, cum de eo scripsit in c. LXIII. ubi passionem ejus, quasi evangelista quidam describit: *De angustia, inquit, et de judicio; id est, a turba premente et iudicibus, sublatus est: generationem* (Hebr. dor. id est, ætatem) *ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium. q. d. vi abreptus e vita in media ætate.* Sensit etiam Christus hunc aculeum, unde Lucas ait *avulsum esse a discipulis, cum passurus eos relinqueret, in monte olivarum.* Luc. XXII.

Tropologice denique ut sciremus Deo gratissimum esse servitium juventutis, tum quia ibi pugna est acrior et insidiæ majores, proinde et victoria gloriosior, tum quia ibi vires et facultas est ad agendum male, proinde et virtus major; senes non tam deserunt peccata, quam deseruntur a peccatis; tum quia juvenis bona, hominem parit senectutem. Hinc maximi quippe sancti ceperunt a juventute Dei cultui se tradere.

II. Ducenda erat hostia ad ostium tabernaculi testimonii, id est, ad introitum atrii sacerdotum; ibi enim illi eam excipiebant, ducebantque ad altare holocaustorum, ubi eam immolabant; nec enim ad hoc altare vel atrium sacerdotum ingredi poterant laici, ut declarat Corn. a Lapid.

Levit. I. Ita Christus velut vitulus ad victimam deputatus, funibus constrictus ductus est. Primo ad sacerdotes Annam et Caipham cæterosque, qui ad hunc convenerunt, ubi eum excipiebant, licet iniquissime, falsis testimoniis, alapis, ludibriis, clamoribus et mortis sententia. Prævidit hoc in spiritu patriarcha Jacob, ideo moriens dixit de Simeon et Levi, Genes. XLIX. *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia: in consilium eorum non veniat anima mea, etc. quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum* (Septuaginta interpretes legunt: *subnervaverunt taurum*). Vidit hic Jacob Christum occidendum a Scribis et Phariseis, qui ex tribu Simeon, rursus a pontificibus et sacerdotibus, qui ex tribu Levi erant, ut notat eo loco S. Ambrosius: *Ipsi enim, inquit, consilium cogitaverunt adversus Dominum Jesum, ut occiderent eum. Ipsi subnervaverunt taurum illum, cornua producentem et ungulas.* Hi ergo duxerunt Christum ad altare holocausti, quando adduxerunt in prætorium, et tradiderunt Pilato, ut ab eo condemnaretur.

III. Ponebant seniores populi manus super caput hostiæ. Ad litteram, ut hæc cæremonia significarent offerentes, se peccata sua imprecari et quasi imponere victimæ immolandæ, eamque pro se offerre. Rursus manus imponere super caput alicujus apud Judæos erat, ferre contra eum testimonium, quod nimirum ipse reus esset, cæteri vero immunes, ut Levit. XXIV. Deut. XVII. Dan. XIII. Allegorice fecerunt hoc Christo seniores Judæorum, quando contra eum dixerunt falsum testimonium et mortis reum dixerunt Christum. Et imprimis Caiphæ, cum de eo dixit propheticæ: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Item alii, cum dixerunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Et hæc quidem illi iniquissime, sed altiori Dei consilio hoc actum est, quia quod impiæ et sanguine peccatorum plenæ manus hominum deliquerunt, hoc positum est in caput Christi exsolvendum, juxta id Isai. LIII. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*

Tropologice monetur peccator per manuum impiarum impositionem, ut simul mactet sua peccata, quorum typus sunt manus ejus. Moriantur peccata, quiesce agere perverse; et quemadmodum victima immolanda vivere desinit, ita desine tu peccare.

IV. Immolabatur vitulus in conspectu Domini. Jugulabatur autem expansus, divaricatis videlicet cruribus, ut notat Villalpandus, lib. III. de templo, cap. XXXVII. quia sic expanso et erecto corpore, colloque dimisso, commodius effundebatur sanguis. Allegorice Christum Judæi immo-